
1854

EDICTUM
CONVOCATIONIS CONCILII PROVINCIALIS II QUEBECENSIS.



PETRUS-FLAVIANUS TURGEON,

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA ARCHIEPISCOPUS QUEBECENSIS, ETC., ETC., ETC.

Reverendissimis Provinciæ Quebecensis Episcopis, nostro eorumdemque Clero et Populo, Salutem in Domino.

Quum secundum Sacrosancti Concilii Tridentini præscriptiones, tertio quoque anno, in unaquaque Provincia Ecclesiastica, celebrandum sit Concilium, ut pastores simul congregati, inspirante Spiritu Sancto, utiliora possint media seligere ad tuendam stabiliendamque fidem in cordibus christianorum, cultum divinum ampliori honore muniendum, studium bonorum operum amoremque rectæ disciplinæ in clero populoque fovenda; Nos, præterea, Decretum XX primi Concilii Provinciæ Quebecensis obsequentes, pro muneris nostri officio, secundum Concilium ejusdem Provinciæ in civitate Quebecensi, ecclesiaque nostra metropolitana, indicere et convocare decrevimus, illudque, in dicta ecclesia, Dominica infra Octavam Ascensionis, die scilicet 28a mensis Maii præsentis anni, incipiendum, per præsentes indicimus atque convocamus.

Quapropter omnes et singulos Reverendissimos ac Venerabiles in Christo Fratres nostros Marianopolitanensem, Carrhensem, Diœcesis Regiopolitanensis Administratorem, Bypolitanum, Torontinum, S. Hyacinthi, Trifluvianum et S. Bonifacii, Episcopos nostros co-provinciales, eorumdemque coadjutores *cum futura successione*, ac alios quoscumque qui de jure, vel privilegio, Synodo seu Concilio Provinciali interesse debent, enixe hortamur et invitamus, et, in quantum necesse est, auctoritate nostra archiepiscopali et ordinaria requirimus et admonemus, eisque, virtute sanctæ obedientiæ, districte præcipimus ut ad dictum Synodum seu Concilium Provinciale celebrandum conveniant et personaliter compareant, nisi forte, justo detenti impedimento, procuratoribus ab eis legitime electis in hoc Concilio suppleantur; et quoscumque suarum respective diœcesium ecclesiasticos, qui de jure vel privilegio interesse debent, ad illud quoque convenire et comparere faciant.

Venerabiles in episcopatu Fratres obsecramus ut diœcesanos suos hortentur ad preces pro felici Concilii exitu fundendas. Omnipotentem Deum humillime deprecentur ut decreta ejusdem Concilii spiritu sapientiæ indicta, majorem Dei gloriam animarumque salutem in Provincia Ecclesiastica Quebecensi promoveant.

Datum Quebeci, in ædibus nostris archiepiscopalibus, sub signo sigilloque nostris ac Secretarii nostri chirographo, in Epiphania Domini, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto.

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi
DD. Quebecensis Archiepiscopi,

hristo Fra-
sis Admi-
facii, Epis-
essione, ac
li interesse
tate nostra
ctæ obedi-
ciale cele-
pedimento,
uoscumque
o interesse

ortentur ad
ime depre-
loriam ani-

o sigilloque
o millesimo

ssimi